





20

DE  
**MORBI SYMPTOMATICI  
AD IDIOPATHICVM  
DIFFERENTE RATIONE THERAPEVTICA**

---

INDVLTV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINA ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FACULTATIS MEDICAET SENIORE ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE, ET  
REGIAR. SOCIETAT. SCIENTIAR. ANGLICAN. BEROL.  
NENS. ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS  
SOLLEMNI RITV CAPESSENDIS

D. VIII. DECEMBR. A. S. R. CCLXIII.

PVBLICE DISPVTABIT

A V C T O R

**IOANNES LUDOVICVS BEELITZ,**  
STENDALIA - PALAEO - MÄRCHICVS.

---

HALAE AD SALAM,  
LITTERIS CVRTIANIS.

MORI SURNATUM  
DICTO HOMINIS  
DILECTIONE  
GRATIA  
DUNDRE ETI DAGHNERO  
ALIO  
SOTERIA HUZ EBBENZER



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
**MORBI SYMPTOMATICI**  
AD IDIOPATHICVM  
DIFFERENTE RATIONE THERAPEVTICA.

PROOEMIVM.

**C**um Therapiae sit, sanitatem laesam restituere, atque ideo efficere, ut morbus, ex quo decumbit aeger, vel plane tollatur, vel, si hoc fieri nequeat, saltem imminuatur; Therapevtae non nisi cum morbis compositis pugnandum erit, si quidem tales sunt, quotquot aelu inexistunt

A 2

cor-

❧      ♐      ☙

*corpori humano. Sed ea est morborum compositorum conditio, ut illi partim absoluantur serie effectum morbosorum, quorum alias alium determinare solet, partim magnitudine et perseverantia inter se mirum in modum discrepent. Quare necesse erit, ut pro ratione casus obuii methodus medendi requiratur, quae modo ex paucioribus, modo ex pluribus indicationibus constet, adhibita vero felici curatione, sufficiat. Cuius rei quidem praeclara specimen in scriptis Auctorum prostant, qui casibus practicis resoluendis ex instituto quasi operam adhibuerunt; non inutile tamen fore iudicavi, si hanc praestantissimam Medicinae practicae doctrinam hac occasione ad principia quaedam generaliora reuocarem, cum mihi nunc incumbit, Specimen quoddam publicum inaugurale edere. Constitui ergo iam mecum, de morbi symptomati ad idiopathicum differente ratione therapeutica differere. Tu vero L. B. has meditationes nostras aequi bonique consule!*



§. I.

## §. I.

**S**i integrae adhuc, nulloque plane modo laesae fuerint actiones sive functiones singularum partium corporis humani viui: huius tunc conseruatio omnino certa erit, et de sanitatis praesentia nullum dubium remanebit. Quando vero vna vel altera harum functionum in corpore ratione suae conseruationis dissentit: tunc de morbi existentia suspicio oriri debet. Adeoque exinde manifesto adparet, morbum diffensu functionum corporis humani respectu suae conseruationis absolui.

## §. II.

Ex anatomicis fatis superque constat, partes singulas corporis humani inter se esse connexas. Neque de eo dubitari licet, quod inter singularum partium corporis functiones arctissimus nexus intercedat, id docente Physiologia. Qua de causa tuto confidere licet, dissentiente vna functione, plures quoque alias functionis dissentire debere; vel, quod idem erit, vna dissentiens functio rationam sufficientem in se continebit, cur plures functiones simul dissentiant. Sed hic etiam opus est, ut huius diffensus caussae, praeter modo indicatas, aliae sint, ab illis plane diuersae.

A 3

## §. III.

## §. III.

Causa morbi, quae non sita est in alia dissentiente functione, siue in alio morbo, morbum pro-  
ducit, qui a Medicis *morbi idiopathici* nomine insigniri solet. Quia igitur morbus idiopathicus non profi-  
ciscitur ab alia dissentiente functione, ut sua causa;  
sequitur, causam huius morbi nullam aliam esse posse,  
quam pars corporis humani non essentialis.

## §. IV.

Morbo idiopathicico iam opponi solet *symptomaticus*. Hinc consequens erit, necesse esse, ut mor-  
bus symptomaticus pro sui causa agnoscat partem  
quandam corporis humani essentialiem. Hinc ergo  
non opus erit, ut morbus symptomaticus ab idio-  
pathico solum determinetur. Dixi enim, eum deter-  
minari a quaunque alia functione dissentiente. Mor-  
bus vero tam idiopathicus, quam symptomaticus, sunt  
functionum dissensus; quare morbus symptomaticus,  
ab utroque morbo originem suam ducere potest.

## §. V.

Ambo hi morbo inseparabiles sunt, id quod ex  
§. II. apparet. Quoad causam autem maxime a se in-  
vicem differunt, quod docent §. III. et IV. Diuersa  
vero eorum differentia et relatio ad se inuicem, effi-  
cit quoque varium statum morbosum.

## §. VI.

## §. VI.

Nullum est dubium, quin in corpore humano aegro plures differentiant functiones, quando nimurum morbus idiopathicus cum suis symptomatibus adest. Ex pluritate vero differentium functionum morbum compositum dijudicare solent Pathologi. Quilibet igitur morbus idiopathicus cum suis symptomatibus *morbum efficit compositum*, et specie, et gradu diuersum.

## §. VII.

Sed adhuc grauius morbi compositi genus posibile est. Fieri nempe poterit, vt in aegro duo vel plures morbi idiopathici deprehendantur, quorum quilibet peculiaria sibi propria habet symptomata perdissequa. Haec modo descripta morbi in aegrotante quodam conditio, *morbum complicatum efficit*.

## §. VIII.

Huius morbi, §. anteced. descripti, ortum ita concipeie licebit. Morbus scilicet symptomaticus ita iam multatus esse poterit, vt definat determinari a suo morbo idiopathicō, vel ab alio symptomatico, vt per se perdurare queat in corpore. Nonne tunc aderit morbus, cuius existentia perdurans non amplius dependere potest a morbo alio? Nonne illum morbum idiopathicum dices (per Definit.)? Praeter hunc

casum alias adhuc hoc loco oboriri poterit. Si nimirum ad corpus aegrotantis, in quo vnum saltem morbum idiopathicum cum suis symptomatibus obseruare licuit, caussae variae admittuntur, quae in eodem nouum morbum idiopathicum producere valent tunc ex accessione caussarum istarum orietur morbus, ex cuius coniunctione cum priore morbo idiopathicō necessario fit complicatio, diuersa specie atque magnitudine, pro ratione numeri, et diuersa qualitate morborum idiopathicorum hic subortorum.

### §. IX.

Therapia versatur circa morborum sanationes, prout nempe in corpore humano existunt. Cuiusunque autem speciei fuerit morbus, quo quis aegrotantium affligitur, ille non aliis esse poterit, quam compositus (§. II- VI.), immo complicatus (§. VII.). Therapeutae igitur erit, morbi tam compositi, quam complicati, exactam habere cognitionem. Tunc enim rite intellecta morbi natura, facile inueniri poterunt regulae, ad facilem eius sanationem congruae; cognitis nimirum rationibus, vnde hoc opus inchoari, quomodo continuari et absoluvi, quidue in his conatibus saepe mutari debeat. Atque huic fundamento innititur iam diuersitas illa rationis therapeuticae ad morbos, vt id circa hanc *differentiam rationis therapeuticae ad morbos* definire liceat, per diuersitatem principii, per quod actiones Medici determinantur.

### §. X.

§. X.

Regulae, secundum quas in morborum curationibus proceditur, *indicationum* nomine venire solent. Hae ita comparatae esse poterunt, ut vel morbo idiopathicō, vel symptomatico respondeant. In casu priore dicuntur *primariae indications*, in posteriore vero casu *secundariae* appellantur.

§. XI.

Quoniam inter morbum idiopathicum eiusque symptomata non alia obtinet relatio, quam quae intercedere solet causam et effectum (§§. III. et IV.): patet, ad methodum sanandi morbos opus esse indicationibus primariis (§. anteced.).

§. XII.

Cum vero morbus symptomaticus rationem suae existentiae in morbo idiopathicō suo agnoscat (§. IV.): non ita necessariae videbuntur indicationes secundariae ad morborum sanationes. Therapiae enim scopus est, regulas proponere sufficietes ad felicem curationem morborum. Si igitur scopus iste sola applicatione indicationum primiarum obtinetur, superfluas tunc fore indicationes secundarias, sine dubio quilibet mihi concedet.

§. XIII.

Si quis morbus in aegro huius conditionis esse deprehendatur, ut symptomata ibidem conspicua  
B nullo

nullo plane modo officiant salutari solutioni, tunc Therapeuta in sola indicationum primiarum applicatione adquiescere poterit. Hae enim indicationes morbo idiopathicō accommodatae sunt (§. X.), adeoque iisdem rite applicatis, morbus idiopathicus tolli poterit, ita, vt sub conditione, propositione superiorē stabilita, curatio felicem nanciscatur euentum.

#### §. XIV.

Vt vero de principiis quibusdam certis generaliter prius constet, quorum beneficio intelligere licet, an morbi, quorum curatio suscipitur, ad casum illum, in propositione (§. anteced.) adductum, referri possint, nec ne? non abs re mea alienum fore putaui, sequentia de hoc arguento hic exponere. Quisque mihi sine dubio facile concedet, omnem effectum respondere debere sua causa; hinc effectum maiorem supponere causam minorem; minorem autem effectum in eodem subiecto non nisi ex causa minori proficiisci posse. Sed omnis morbus ut effectus a sua causa producitur; unde necesse erit, ut eiusdem speciei morbus, qui in uno aegro maior, in alio minor deprehenditur, ibi maiorem, hic vero minorem sui causam habeat. Ad cognoscendas igitur harum causarum magnitudines, omnem animum dirigere oportebit. His ergo ita comparatis, operae pretium erit, rationem habere, aetatis, sexus, temperamenti, dispositionis haereditariae, vitae generis, singularium quorundam vitiorum in corporis structura,

atura, nec non aliarum caussarum externarum concurrentium.

§. XV.

Eo enim modo, qui §. anteced. indicatur, perspectis caussarum qualitatibus, cuilibet nunc facilius iudicare licebit, an hic iste casus adsit, cui respondeat omne id, de quo disputatum est in §. antecedente?

§. XVI.

Ex modo dictis apparet, quod haec quidem generatim vera sint, specialiorum autem inuentio et applicatio adhuc difficilis ac dubia esse possit. Hoc vero ne desideretur in Dissertatione mea, iuuabit, nonnulla exempla in medium proferre.

§. XVII.

Hunc censem in primis subire videntur febres illae continuae, quibus aetas iunior magis affligitur. Symptomata quidem sat grauia atque vehementia occurrere videntur, quae tamen nihil periculi aut noxae in recessu habent, ita, ut Therapeuta iisdem peculia-ria et appropriata remedia opponere deberet.

§. XVIII.

Merito huc referendam puto febrem catarrha-lem benignam, quae in compluribus subiectis cuiuscunque aetatis occurre solet. Coniuncta plerumque incedit symptomatibus adeo leuibus, ut vix

villam quandam mereantur attentionem. Quare superuacaneum foret, ad haec profliganda secundarias formare atque applicare indicationes. Diffiteri equidem minime volo, hanc febrium speciem sat grauia nonnumquam comitare symptomata; sed horum origo vnicce a peculiari quadam corporis constitutione derivanda erit, quorsum v. g. pertinerent consuetae congestiones versus loca superiora, ita, vt inde, concorrente febre ipsa, graues affectus anginoidei, grauia deliria, producerentur.

### §. XIX.

Porro febres quoque intermittentes ad numerum horum morborum referendas esse puto. Observamus enim, illas vario modo corpus affligere, minime autem ex natura atque essentia sua, sed ob peculiarem quandam corporis conditionem. Indicationes primariae ad earum curationem, missis secundariis, sufficiunt, nisi symptomata, ob rationem adductam, eminentioris gradus esse obseruentur. Talia vero esse possunt, grauiores congestiones sanguinis versus vasa encephali, vnde dolores capitis vehementes, mentis alienationes, immo affectus soporosi producuntur, quae singula symptomata, perseverante in primis spastico peripherico, in actum deducuntur, insimul vero requirunt, vt maior sanguinis ad sit abundantia, vasaque encephali prae reliquis debiliora existant.

### §. XX.

## §. XX.

Haud incongruum existimo, huc quoque referre suppressionem menstruae excretionis, sequiori sexui propriae, ex qua innumera perquam grauia et sonica proueniunt incommoda, diuersimode, secundum indiuidualem subiectorum determinationem, variantia. Supprimuntur nonnunquam, in robustioribus et vitae generi mobiliori adsuetis subiectis, sine admodum molestis symptomatibus. Si autem retardantur in valde plethoricis subiectis, sanguinem simul spissum gerentibus, aut in iis, quae vasa aut viscera habent debilia, infarcta, aut obstructa, tunc maioris momenti incommoda inde gignuntur. In casu ergo priori eo saltem erit respiciendum, vt indicationes primariae prosequantur, et sanguis ad excretionem aptus, vasa autem ad hanc adiuuandam permeabilita reddantur, quo facto, omnia symptomata euanscere debent fine secundariarum indicationum applicatione.

## §. XXI.

Vlterius quoque morbi cuiusdam hic mentionem facere iuuabit, qui ventriculum maxime afflit. Consistit ille in retentione et accumulatione ingestorum non subactorum, quae cruda in illo retinentur, et ad corruptionem concipiendam dein disponuntur. Inducunt vertriculo magnam debilitatem, quare maius exinde suboritur impedimentum, quo minus munere suo debite fungi possit. Oboriuntur hac ratione

B 3

pro-

prostratio appetitus, nausea, vomituritiones, ipsique vomitus, nonnumquam autem exinde euenire solet alii obstructio, a qua tandem iterum alia diuersi generis incommoda in reliquo intestinorum canali gignuntur, quae iterum alios comites habere solent. Sed omnia haec symptomata, remotis cruditatibus et roborato ventriculo, sponte demum iterum euaneantur.

### §. XXII.

Absoluta prima tractationis huius parte, ad secundam progredimur. Consideravimus nimirum hucusque, quando Therapeutae liceat ad morbum idiopathicum solum attendere, posthabitis eius symptomatis. Sequitur iam vt ille casus expediatur, vbi scilicet morbi idiopathicici symptomata postulant, vt illorum data quasi opera rationem habeat Therapeuta. In permultis morborum insultibus symptomata obseruantur, quae morbi idiopathicici salutarem et citiorem solutionem plane impediunt, saltem hoc salutare opus iusto longius retardant. Horum morborum luculentius examen haud leuioris usus in praxi medica fore existimo. Nam ad scopum praxeos medicae rite obtinendum necessario requiritur, vt Medicus hos morbos probe cognoscat, in quibus haec symptomata prodire solent, quae supra modo dictum effectum noxiun edere possunt: hoc enim cognito, facilius et certius constabit de modo prauos istos effectus mitigandi.

### §. XXIII.

## §. XXIII.

Quilibet mihi facile concedet, dari morbos ita comparatos, vt non nisi excretionibus naturalibus, quoad certam speciem certumque gradum subortis, salutariter soluantur. Quodsi itaque Therapeutae occurrant morbi modo indicatae indolis, tunc summae necessitatis erit, vt omnem moueat lapidem, ne vlo modo tales salutares excretiones impedianter, vel iam subortis quibusdam impedimentis haec perdurent. Occurrunt autem interdum symptomata, tanquam morborum nunc modo indicati casus, quae excretiones naturales vel prorsus impediunt, vel easdem imminuunt, vel tandem augent. Quo facto necesse erit, vt inde totius morbi, ex quo decumbit aeger, salutaris solutio vel plane impediatur, vel retardetur. Ex his iam satis clare apparet, Therapeutae tunc eo innitendum esse, vt talia symptomata tempestive praecaueantur, vel, si iam adfuerint, imminuantur, vel plane tollantur, cum id scopo Therapiae congruum sit.

## §. XXIV.

Quatenus itaque solus morbus idiopathicus causam existentiae symptomatis absoluti, eatenus symptoma illi praecise respondebit. Apparet exinde, graviores morbum idiopathicum grauiora quoque excitare symptomata. Tunc autem morbus respectiue augebitur. Morbus vero austus difficiliorem admittit curationem. Symptoma autem grauius causam  
huius

huius status absolvit, et morbum maiorem reddit; quare quoque sequitur, vt morbus totus neque imminui, neque facilis solui queat, nisi imminutis eiusmodi symptomatibus. Nullum ergo dubium remanebit, quin imminutio symptomatum in grauioribus morborum speciebus summo studio procuranda sit.

### §. XXV.

Nonnumquam comitantur morbum idiopathicum symptomata, quae nullam relationem respectu gradus ad illum habere videntur. Interim tamen ex antecedentibus constat, caussam symptomatum positam esse in morbo idiopathico. Quare ortum suum huic quidem debent; quia autem gradu eidem non proportionato incedunt, necesse erit, vt plures caussae ad eorum existentiam atque gradum producendum concurrant, quae tam externae, quam internae esse possunt. Postiores saepe constituant determinationes internae; quare ad haec attentus esse debet Therapeuta. In casu ergo quolibet symptomata quam maxime imminuenda erunt, vt morbi curatio facilitetur.

### §. XXVI.

Sed aliud adhuc symptomatum genus, morborum cuiusdam speciei solutionem impediens, prodire potest. Multorum nimirum morborum caussa in miasmate, sanguinem ad corruptionem disponente, latet. In genere autem constat, omne putridum et he-

heterogeneum per congruas vias e corpore eliminandum esse, si pessimos effectus, a retentione harum particularum metuendos, praecauere intendimus. Morbi autem a putrido orti symptomata coniuncta habent, quae hanc excretionem valde impedire, immo plane supprimere possunt. Quisque ergo inde facile intelligere potest, haec symptomata, quatenus excretionem salutarem harum partium putridarum impediunt, summo studio praecauenda, imminuenda, vel plane remouenda esse, ne morbus difficilioris curationis fiat, vel ex retentione materiae excernendae pessimus enascatur euentus.

### §. XXVII.

Ex modo dictis adparet noxa illorum symptomatum, a quibus excretiones in morbis quibusdam salutares impediuntur. Sed dantur quoque morbi, quorum symptomata in eo consistunt, ut negotium excretionis ad summum usque corporis detrimentum augetur. Quantum vero detrimenti a nimium auctis excretionibus in corpus redundet sub statu sano, ex pathologicis iam satis constat. Quare maiorem effectum haec excretionis determinatio in morbis monstrare debet. Therapeutam ergo ad id vel maxime attendere oportebit, ut excretionum in morbis quibusdam augmentum conuenienti modo infringat.

C

### §. XXVIII.

## §. XXVIII.

Vt ea omnia, quae nunc modo prolatæ sunt, eo luculentius appareant, non alienum erit abs renostra, hic exempla quaedam enarrare, ad illustrandam magisque confirmandam hancce theoriam generalem.

## §. XXIX.

Primum exemplum, quod propositioni in §. XXIII. contentae respondere videtur, ex calculoso affectu depromere licebit. Omnem nempe calculum iam generatum, et residentem vel in renibus, vel in parte superiore vretherum, vel in ipsa vesica vrinaria, excipiunt congestiones, omnis generis spastm, dolores, immo inflammations. Sed magna horum symptomatum obseruatur differentia, prout cauſa apta est ad producenda vel grauiora, vel leviora symptomata. Calculus nempe maioris, aut minoris molis, superficie vel magis asperae, vel laeuioris esse potest. Hanc si p̄ae ſe fert indolem atque conditionem, tum symptomata eadem quidem post ſe trahit, sed mitiora tantum; ſi autem illius conditionis deprehenditur, eadem, ſed gradu valde ab illis diuersa producit symptomata. Ad ſolutionem vero affectus huius dolorifici requiritur, vt calculus excernatur. Aſt, quoniam calculus conſtrictionem spasticam in illis viis, per quas tranſire debet, producit; hinc appetat, hoc symptoma imminuendum eſſe.

Viis

Viis enim praeclusis, excretio impossibilis redditur.  
Pro ratione ergo caussae et inde dependentis spasmī,  
indications formandae erunt.

### §. XXX.

Porro quoque, me quidem iudice, ad propositio-  
nem §. XXIV. vbi de symptomatum incremento ob  
concursum plurium cauſlarum disputatur, inter alia  
referri meretur malum hypochondriacum incipiens,  
in quo non deficiunt continuae fere tensiones circa  
hypochondria, varia incommodorum genera circa  
praecordia, sed omnia leuioris gradus. Commissis  
vero vitis diaetae, concurrente nimia sensibilitate  
aegri, dolores illi spastici circa hypochondria et loca  
ventriculi actutum supra modum increscunt, ita, vt  
gradum morbi idiopathici superare videantur. Qua-  
de cauſa Therapeutae hic cogitandum erit de immi-  
nutione symptomatum.

### §. XXXI.

Theoria §. XXV. innititur illis morbis, quo-  
rum cauſa in fluidorum quodam inquinamento latet.  
Praecipuum horum speciem constituunt febres illae  
malignae exanthematicae, vbi materia putrida per  
omnem humorum massam distributa esse animaduertit  
ur, quae efficit, vt successive omnia corporis fluida  
in plenariam corruptionem ruant. Ut vero funestus  
hic euentus praecaueatur, necessum erit, vt putri-  
dum per conuenientia excretoria loca e corpore re-

C 2

mo-

moueatur, id quod saluberrima ratione obtinetur, vel aucta transpiratione, vel exanthematum productione. Si vero spasmus periphericus forsitan auctior adhuc praesto fuerit, qui efficere valet, vt vaſa, per superficiem corporis excurrentia, magis constringantur, non poterit tunc fieri, vt exanthemata prodeant in conspectum, vel transpiratio in conueniente gradu succedat. Quare in genere eo respiciendum erit, vt in omni febre maligna spasmus periphericus debite mitigetur, ne maiore eius gradu atque vi miasma ad interiora corporis propellatur, et inde morbi solutio ſalutaris impediatur.

### §. XXXII.

Contrarii quid euenire solet in febrium continuarum quadam specie, in Hectica nimirum. Pathologia docet, in hoc morbo corpus emaciari et admodum debile euadere. Sed constat quoque ex Semiologia, hanc febrem nancisci lethalem euentum, ex superuenientibus ſic dictis colliquatiuis excretionibus, tam per sudorem, quam diarrhoeam. Corpus enim iam summo in gradu debilitatum est, quare eiusmodi excretiones auctae facile euenire poſſunt. Ne autem chronicus hic affectus tanto citius funestum fortifiatur euentum, opus erit, vt huic symptomati congruis remedii occurratur.

### §. XXXIII

Iam Therapiae ſcopus in eo confiſtit, vt sanitatis restitutio, quantum fieri poſteſt, cito promoveatur.

veatur. Multos quidem ad illum impetrandum pro-  
stare modos, inter omnes constat; sed obseruamus,  
quamcunque morborum speciem proprium solutionis  
modum sibi vindicare. Hic igitur ex ipsius morbi na-  
tura progreditur, adeoque omnium optimus erit, si  
cum fine Therapiae consentit. Si igitur in morbo-  
rum curatione versamur, probe attendere debemus,  
quomodo morbi solutionem natura promouere con-  
etur, vt exinde diiudicare possimus, quid huic obsit,  
aut quid eandem promoueat. Ex pathologicis con-  
stat, ad hunc effectum impetrandum naturam variii ge-  
neris symptomata adhibere, quorum ope via breuif-  
fima morbi solutio obtinetur. Cum res se ita habeat,  
nostrum esse putauimus, in sequentibus §§. huius pro-  
positionis veritatem enarratiū explicare.

### §. XXXIV.

Neminem fugit, multorum morborum caussam  
ita comparatam esse, vt ad sui remotionem materiae  
peccantis excretionem requirat. Abundantia igitur  
humorum, vel laudabilium, vel minus laudabilium,  
vel aliarum nocitarum materiarum, quae corpus one-  
rant, caussam ipsius morbi, vel eius incrementi, vel  
solutionis impedimenti constituere poterit. Nunc  
autem huius generis morbus numquam curationem  
admittet, nisi excretio succedat, quae pro qualitate  
et quantitate materiae peccantis proportionata est.  
Si ergo hac ratione morbum tollere studemus, atten-  
dendum maxime erit, an natura in eo gradu ex-

C 3

cre-

cretiones excitet, vt inde hic salutaris effectus expectari possit.

### §. XXXV.

Pro differentia autem caussae morbi, variis generis esse debent excretiones, quae ad solutionem concurrunt. Sed nulla excretio speranda est, nisi fluidum excernendum ad sua organa secretoria delatum fuerit. Quare hoc prius contingere debet, quam solutionem morbi, hac ratione obtinendam, expectare possumus. Sed hic quoque requiritur, vt organa secretoria in massam ad illa delatam certo gradu agant. Si ergo morbus huius conditionis in corpore latet, simulque descripti effectus symptomata coniuncta habet, tunc eius solutio sic promouenda erit, vt, si iusto minoris gradus ista salutaria symptomata fuerint, ea conuenienter augeantur.

### §. XXXVI.

Quodsi hac ratione natura ipsa circa morborum profligationem versatur, huius exemplum Therapeuta sequi debet. Si igitur illa descriptae indolis symptomata ad hunc decentem gradum non euecta esse comprehenduntur, tunc naturae molienti succurrendum erit, vt id arte efficiatur, ad quod producendum naturae medicatrixis vires haud sufficisse videbantur.

### §. XXXVII.

## §. XXXVII.

Ne etiam, veritatem propositionum §§. anteced. probantia exempla, desiderentur, scopo nostro conueniet, vnum vel alterum huius rei documentum excitare, vt ita clarius perspicere liceat, qualia symptoma, qualis eorumdem gradus esse soleat, et quomodo illa fouenda atque augenda sint.

## §. XXXVIII.

Exemplo hic esse poterit fluxus menstruus, qui sexui sequiori periodice familiaris est. Antequam ille prodit, multa incommoda oboriuntur, quorum praecipua in spasmoidicis varii generis constrictiōibus consistunt, quae si iustum gradum obseruent, succēsum excretionis promouebunt. Sed peccare solent hi spasti vel gradu intensiore, vel remissiore, quam quidem requiritur ad excretionem rite perficiendam et promouendam. Casus prior huc non pertinet; de posteriore autem hic solliciti esse debemus. Quum enim ob defectum spasmorum excretio succedere non possit, et varii generis incommoda a sanguinis menstrui retentione metuenda sint; quilibet facile perspicet, in hoc casu spasmorum augmentum promouendum esse, vt ita facilius salutaris ista excretio prodeat.

## §. III.

Eadem ratione comparatum est cum fluxu haemorrhoidalī, ad quem imprimis sexus potior inclinat.

Varia

Varia hic suboriri solent incommoda, quae subsequente huius fluxus excretionefacile iterum euaneantur. Hinc omnino opus est interdum, vt, si convenientes adsint indicationes, haec quoque excretio sanguinea caute et blande promoueatur, eaque propter, si motus ad eandem necessarii prorsus deficiant, debite excitentur, aut si insufficientes fuerint, moderate augeantur.

#### §. XL.

Alia haemorrhagiarum species foeminis quoque propria est, quae omnem partum, separata nempe placenta vterina, sequi debet, et fluxus lochalis nomine insignitur. Haec excretio per certum tempus conseruari et durare debet. Hinc iuxta therapeutica principia necesse est, vt deficiens hic fluxus lochalis promoueatur, et ad scopum hunc obtainendum necessarii motus prudenter augeantur.

#### §. XLI.

Saepe contingit, vt subiecta quaedam nimium appetitui indulgeant, cibosque diuersae indolis nimia in copia ingurgitent. Conciliant inde sibi morbos, originem suam ex cruditatibus in ventriculo contentis capientes. Prodeunt exinde symptomata varia, vt ructus, nausea, appetitus prostratio, vomititio-nes, vomitus, immo et diarrhoeae. Horum ergo duo posteriora si superueniunt, salutarem et breuem morborum spondent solutionem; si autem non succedant,

dant, consultum omnino erit, prouide illa excitare, vt cruditates, caussam talium morborum constituentes, tempestive remoueantur.

### §. XLII.

Catarrhus suffocatius consistit in paralytica pulmonum debilitate et inde dependente nimia muci collectione in bronchiorum ramificationibus et vesiculis pulmonalibus. Duae ergo caussae suffocationis periculum corpori inducunt. Hinc, si symptomata, quorum ope vna vel altera suffocationis causa tolli potest, superueniunt, tunc bonus adhuc sperandus est euentus. Sic e. g. tussis si accedit, eius ope mucus collectus et stagnans e pulmonibus expelli, et sic unum respirationis impedimentum remoueri potest. Hac igitur deficiente, praestabit, pulmones ad concussorum huncce motum irritare, vel leuem etiam vomitum prouocare, vt concitata inde spasmodica diaphragmatis contractione, collecta in pulmonibus viscosa et mucosa faburra tanto validius remoueatur.

### §. XLIII.

Ad salutarem et faciliorem febris variolosae solutionem non solum requiritur, vt materia maligna versus corporis peripheriam propellatur, et in pustulas colligatur, sed etiam, vt hae iusto tempore in

D

sup-

supputationem transeant. Ad hanc vero rite perficiendam requiritur febris augmentum (per princip. Pathol.); quare pro hoc scopo obtinendo iuuabit motus febries languescentes ad conuenientem gradum excitare.

#### §. XLIV.

Demonstrauimus in §. VIII. quod morbus aliquis ita possit augeri, vt inde oriatur status complicatus. Cum itaque iam de diuersa ratione therapeutica, quam habet morbus symptomaticus ad idiopathicum, nobis sermo sit, merito hinc iam quoque dispiciendum erit, quid tunc faciendum sit, quando morbi symptomata cuidam complicationi producendae admodum fauere deprehendantur.

#### §. XLV.

Symptoma in genere determinatur ab alio morbo (§. IV). Sed extra hanc relationem ad alios morbos itidem emergere potest, tuncque illud in morbum idiopathicum degenerat, priore tamen remanente morbo idiopathicō (§. VIII.). Oritur ergo tunc status complicatus, secundum definitionem in §. VII. contentam. Ne autem hoc eueniat, id in primis necesse erit, vt Therapeuta ad ea symptomata probe respiciat, quae hanc degenerationem in morbum idiopathicum accelerare possunt.

#### §. XLVI.

## §. XLVI.

Huius generis autem symptomata oboriuntur in omnibus morbis grauioribus. Producuntur in chronicis affectibus, vbi symptomata successive in tantum gradum increscunt, vt per se perdurare possint. Gignuntur tandem in primis in illis morborum speciebus, vbi morbus idiopathicus partes respectue ignobiliores adfligit, et symptomata producit, quae partes nobiliores occupant. Ne autem horum morborum tempestiu[m] curatio tali complicatione retardetur, quilibet facile perspicere potest, quod haec symptomata in primo statim ortu remouenda, aut si iam increuerint, imminuenda sint, quo imminens auertatur complicatio.

## §. XLVII.

Vt vero clarius elucescat, in quibus morbis imminutio seu remotio eiusmodi symptomatum, ad praecauendam complicationem, requiratur: conueniet hic quaedam exempla specialia veritatis huius proferre. Huc adeoque sine dubio pertinebunt febres acutae, quae ob sui grauitatem facile complicationi patrocinantur. In omni quidem febre congestiones sanguinis ad superiora magis diriguntur; sed in his valde augentur, ita vt facile inde oboriantur inflammatio meningum, quae alias morbum idiopathicum constituit, ex cuius accessione ad prior-

D 2

rem

rem adhuc existentem in corpore, necessario status complicatus gignitur. Ne autem ad hanc conditio-  
nem perueniat prior ille morbus, necesse est, vt  
impetuosa congestio immunuatur, et sic complicatio  
praecaueatur.

## §. XLVIII.

Morbi cuiusdam chronici, qui cum sympto-  
matibus ad degenerationem in morbum idiopathi-  
cum pronis incedit, exemplum praebent spasmi, qui,  
si producuntur a sanguine spissi, facile ad genera-  
tionem scirrhorum et stases inflammatorias ansam  
praebent. Quoniam enim sanguis per partem spa-  
stice constrictam difficulter progreditur, hinc ad alia  
loca copiosius propellitur, per quae si itidem ul-  
terius libere progredi non potest, aut si partes istae  
ab eius maiore accumulatione debilitantur, facile  
tunc spissior hic humor ibidem subsistit, sive ob-  
structiones, facile in scirrhos, aut inflammationes  
transeuntes, producit, quae singula mala tempestiu-  
congestionum immunitione et spissioris sanguinis re-  
solutione praecaueeri debent.

## §. XLIX.

Morbi, qui ex subita sanguinearum excretio-  
num suppressione ortum trahunt, talia producunt  
symptomata, quae facillime in morbum idiopathi-  
cum

cum degenerare possunt. Huius autem generis sunt e. g. Haemoptysis, et Phthisis pulmonalis, quae ordinarie, restituta licet sanguinis excretione, in corpore remanent. Ne igitur pessimus eiusmodi effectus a suppressa excretione produci queat, necesse est, ut sanguinis congestio impetuosior, versus pulmones facta, ad alia loca deriuetur, et caussae, restitutionem turbatae excretionis sanguineae impudentes, conueienti ratione remoueantur.

**§. L.**

Quoniam autem methodus, complicationes tales tempestive auertendi, in variis Medicorum scriptis satis exakte iam exposita est: superfluum uthique fore iudico, si longis exemplorum, eandem non nisi confirmantium, narrationibus immorari vellem. Per se autem patet, haec intelligenda esse de perniciofis complicationibus, quas mature praecavere omnino necessitas postulabit. Anne vero etiam possibles erunt salutares morborum complicationes? et quid circa illas obseruandum erit Therapeutae? Binae hae quaestiones adhuc expedienda restabunt.

**§. LI.**

Existentia complicationis morborum salutaris nullam inuoluere videtur contradictionem. Supe-

D 3

rius

rius iam dictum est, fieri posse, ut morbi in corpore orientur, quorum salutaris solutio non nisi per excretiones naturales determinati gradus continere solet, quas tamen saepius impediri deprehendimus. Ponamus ergo nunc, in casu praesente adesse morbum, vbi excretio quaedam naturalis salubris quidem foret, quae tamen, ob complura in aegro simul occurrentia impedimenta, succedere non potest. Ponamus porro, fieri, ut ad hunc morbum idiopathicum accedat aliis, a quo impedimenta illa, intuitu excretionis salutaris et necessariae ad exoptatam prioris morbi solutionem, non modo superantur, sed etiam haec ipsa excretio, a nouo morbo producta, eidem simul utilis euadit; tunc necessaria hic erit complicatio, quam non imerito salutarem dicere possumus; quoniam excretio, a priore morbo idiopathicō impedita, per posteriorem vero restituta, vtriusque salutari solutioni bene respondet.

### §. LII.

Vt haec generaliter dicta in §. anteced. eo clarius elucescant, haud incongruum erit, hic casum aliquem speciale proponere, ex quo satis euidenter deprehendere licebit, quantum illa cum veritate consentiant. Hypochondriacus quidam, variis incommidis, quae huic malo propria esse solent, vexatus, de continuo fere frigore in extremis et pertinac-

tinacissima alui obstructione potissimum conquerebatur, et reliquorum mali hypochondriaci symptomatum augmentum semper observabat, quando frigus illud extremorum et alui obstruc<sup>tio</sup> magis invalescebant. Accedebat tandem febris catarrhalis benigna, a commissis in regimine vitiis inducta. Die quinto eiusdem prodiit diarrhoea, quae vsque ad diem nonum continuabat. Hac excretione efficiebatur, vt non solum febris ipsa salutariter soluatur, (sicuti id alias saepius in tali febri fieri per experientiam constat,) sed etiam prioris mali hypochondriaci symptomata mirum in modum imminuerentur. Exemplum morbi complicati sifit modo descriptus hic casus, dum nempe malum hypochondriacum cum febre catarrhalis benigna iunctum erat. Salutarem autem fuisse hanc complicationem, exinde adparet, dum mali hypochondriaci incommoda imminuta fuerunt ope febris catarrhalis, solutae per diarrhoeam.

### §. LIII.

Sed nunc etiam facile constare poterit, quid in casibus eiusmodi salutarium complicationum agere oporteat Therapeutam. Conueniet nempe hic ita procedere, vt magis promoueat illius morbi, in complicatione existentis, talis solutio, qualis alteri quoque morbo, simul praesenti, proficua esse potest.

### §. LIV.

§. LIV.

Licet autem de reliquo negari non possit, intuitu argumenti hactenus pertractati plura utique proferri potuisse, si temporis et aliarum circumstan- tiarum ratio maiorem concessissent prolixitatem: facile tamen patebit, quod praecipua ad minimum momenta, ad hoc argumentum spectantia, adducta fuerint, quae ad exactiorem et specialiorem eiusdem enodationem exercitatis Lectoribus vterio- rem suppeditare possunt occa- sionem.

# T A N T V M.

## Addenda et Corrigenda.

Pag. 6. lin. 17. post vocabulum *symptomaticus*, adde: *sunt functionum diffensus; quare morbus symptomaticus* - -

Pag. 10. lin. 5. post vocabulum *idiopathicus*, addatur: *cum symptomatico simul* - -

Ibid. lin. 17. pro *caussum minorem*, lege: *causam maiorem*.

Diss. med. Hal.


g. 1763/64.

ULB Halle  
005 379 296

3







**TOMATICI  
ATHICVM  
UE THERAPEVTICA**

TV  
RVM ORDINIS  
IDE  
SIMO ET EXPERIENTISSIMO  
ABUCHNERO  
PERII NOBILI,  
GIS A CONSILIIS INTIMIS,  
ALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
GIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
CVRIOSORVM PRAESIDE, ET  
R. ANGLICAN. BEROLI-  
JENS. SODALI,  
ICINA HONORIBVS  
CAPESSENDIS  
. R. CICCCCLXIII.  
PUTABIT  
OR  
VICVS BEELITZ,  
D-MARCHICVS.

SALAM,  
V R T I A N I S.